



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Bartolomaei Salvii Ordinis F. Minorum de
Obseruantia, Lvx Animæ Ad perfectionem anhelantis ;
Opvscvlvm Insigniter pium, et perfectionis studiosis
neceßarium**

Cambi, Bartolomeo

Coloniae, 1606

Praxis meditationis in lectionem diei Lunæ. Cap. 9.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50816)

nes de humilitate Domini IESV
Christi, sunt meditatio primæ le-
ctionis.

Praxis lectionis diei Luna.

CAPVT IX.

TRANSEUNDO nunc ad se- *Meditatio*
cundam lectionem, de Christi *diei Lune.*
oratione & agonia in horto: medi-
tatio super eâ hæc est.

Totius rei gestæ historiam à S.
Luca Euangelista accuratissimè de-
scriptam, diligenter considerare: ac
singula illius verba voluere, ac sæpè
ruminando reuocare. verba S. Lucæ
sunt hæc.

*Et egressus ibat secundum consuetudi-
nem in montem oliuarum.* CONSIDERE
RA hîc anima mea, primùm: Quam
fuerit frequens & assiduus Domi-
nus tuus in oratione: quâdoquidem
iuxta morem suum, diurno tempo-
re populos cælestis doctrinæ præ-
ceptis erudiebat, ac sermonibus ad
eos habendis operam dabat: no-
cturno verò precibus diligentissi-
mis incumbibat. Hinc animaduerte

tere potes amoris illius magnitudinem quo te complectebatur: cum nullis laboribus ac vigilijs tua causa parceret, nec die nec nocte à tua salute curanda auocari se pateretur: die prædicationibus, nocte precibus eam constituendo, vnde scriptum est. *Erat pernoctans in oratione Dei.*

Luc. 6.

CONSIDERA deinde quàm tibi sit necessaria oratio; cum IESVS quem nulla necessitas orandi constringebat, vt tibi exemplum præmonstraret, noctes integras, sine somno in orationibus transegerit. Redargue tuam segnitiam & otiositiam in tam sancto exercitio.

ATTENDE quòd discipulos secum ducat, vt videant quàm differens sit hæc agonia, à gloriosa transfiguratione quam in monte Thabor, còspexerant. Pensa quàm vile sit orationis studium, siquidem discipulis dicit: *Orate vt non intretis in tentationem.*

CONSIDERA quanto amore Christus erga discipulos flagret, cum

cum ab ipsis vix quantum iactus est lapidis separari potuerit, quod etiam S. Evangelista Lucas Cap. 22. verbo, *auulsum*, quod magnam vim notare videtur, declarat, quasi Christus à charissimis sibi discipulis, non sine maximo dolore auelli quiverit.

ATTENDI profundam Christi humilitatem, qui in terram humiliter procumbit, & magna cum veneratione ac reuerentia suam orationem auspiciatur. Pensa quàm fuerit voluntas illius voluntati Patris vnita & in omnibus conformis: quandoquidem voluntatem suam Patri prorsus resignat dicendo. *Si vis, veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.*

INTVERE quanta cum reuerentia ac tremore accesserit Michael Angelus Dominum suum in hac lucta corroboraturus. Imaginare insuper animo, quantum dolorem Angelus ostendisset, quas lachrymas profudisset, si natura illius harum passionum capax fuisset, quan-

do Deum & cōditorem suum tantis afflictionibus obrutum conspexit.

Gratias age Angelo de Charitate quam Domino suo exhibuit, quod ad eum confortandum de cælo descenderit.

Perpende quantam Deus eorum qui in afflictionibus & aduersitatibus constituti sunt, curam gerat, quandoquidem Angelos ad eos in tribulationibus confirmandos & corroborandos mittit.

CONSIDERA magnitudinem afflictionis IESU Christi, qui opus habuit cōfortatione Angelica. Pensi quanto Christus dolore pressus fuerit, qui factus est similis homini agonizanti, atq; animam in manus Creatoris sui commendanti.

CONTEMPLARE quantis angustijs circumdatus sit Dominus tuus, quandoquidem sanguinem aded copiosum sudat, vt etiam terram irriget. Aspice vt per sanctam illam faciem, per oculos, per nares, per os, per totum denique corpus
sanguis

sanguineæ guttæ defluant, ac primum vestimenta, deinde terram inficiant.

Hic ad deuotionem cor tuum succende, ac IESU afflicto medullitus compatere, desiderata faciem eius sudario tuo abstergere, pretiosas sanguinis eius guttas colligere, terram, lapides & herbas sacro hoc cruore conperfas tingere & osculari.

CONSIDERA demum ingentem vim & ardorem charitatis IESU Christi, qui cum secum statuisset pro humani generis salute mortem oppetere, atque ab Angelo in hoc proposito confirmatus esset: amore ardentissimo erga genus humanum inflammatus est: Quare charitas ad eor eius angustiatum accurrens, cum illuc propter naturalem timorem ac pauorem, quo cor Christi ante concussum fuerat, omnem sanguinem, ad corroborationem illius confluxisse animaduertet: charitas quæ cor Christi occupare laborabat, omnem illum sanguinem tanta cum vi per venas

L 5 impu-

impulit, vt venis ante vacuis impletis, etiam cutem penetrare coegerit, in tanta abundantia vt terram madefecerit.

O bone IESV. O afflicte & moeste IESV. O IESV amor meus, quid est hoc quod cerno, in facie tua cum lachrymis & sudore sanguine commisceri, idque mei causa? O IESV spes mea: quid est hoc quod conspicio: vt cor meum consolationibus impleres, tuum amaritudinibus & tristitia confici voluisti? O bone IESV omnem tuam angustiam & dolorem, in malignum & ingratum cor meum transfunde: atque purum & innoxium cor tuum ab omni molestia expedi & libera.

Praxis Lektionis diei Martii.

*Meditatio
diei Martii.*

HVIUS diei lectio est, de illusione Christi ab Herode, quae ab Euangelista Luca his verbis describitur: Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo.

Hic Anima pia considera, quomodo Herodes, cum IESVM nec loquentem, nec vel verbulum vnum